


Lia. I.

DISPV TATIO PHILosophica
DE
LEGE ASSOCIATIONIS
COGITATIONVM
VELT
IN SIGNI LEGE INTERPRETIS
N. T.

QVAM
AVCTORITATE AMPLISS. PHILOSOPHORVM ORDINIS
D. SEPT. CIC 10 CCLXVIII

TVEBUNTUR
M. LVDOVICVS MARTINVS TRÆGER
ET
IOHANNES PETRVS WILLENBÜCHER
ERBACENSIS S. TH. S.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.





A proposito, quo intuetur Metaphysice, longe subsistit umbratilis
ignobilisque contentio eorum, qui, cum se diuini huius studii
vendident statores, parum tamen, animo earum flamme tu-
mente, de illius habitu ante oculos ita proponeando cogitant, ut tandem ali-
quando possint intelligere omnes, longam aliarum rerum cognoscendarum
seriem ad illam sese applicare, coque eam esse salutandam vero nomine, quo
VERYLAMIVM (de augm. Scient. I. III, c. I.) philosophiam primam suam, velut
matrem sue trunum reliquarum scientiarum, constat vehementer commen-
dasse. Ut olim in prouerbio erat, multos esse thyrfigeros, sed paucos Bac-
chos, ita in metaphysicorum multitudine videimus raram et insolitam eorum
operam, qui, perspecta almae huius philosophiae coelesti origine, etiam cae-
teris, qui minus sapient, immo larualem eius formam putent, praestantiam
atque maiestatem illius solerter demonstrant, cupidosque perlustrandi mun-
dum istum, ab externis sensibus remotum, simul inde ad lucrosorem et iu-
cundiorem eruditionis orbem traducant, cuius feracem indolem et bardus
quisque animaduertat; ostensuri, quam praeclare inuentis metaphysicis
quoduis fere studiorum genus collustretur, foneatur, alatur, omninoque iu-
netur. Et hanc ipsam quidem oscitantem et dormitantem metaphysicorum
sapientiam dubium non est in primis esse caussam, quamobrem adhuc passim
lateant turgidae quidem, at panem lucrantis ignorantiae insipientiaeque alum-
ni, qui studii nugatorii, et sterilis, et caliginosi, et tractatu asperi, et pro-
fani, et quis omnes laudes caneret? appositi exemplar, metaphysics au-
toritatem mirum in modum allatrant; en, conclamitantes, a qua tibi caueas!
ah, postulat ingenium, nec largitur tamen opes! Quo loci sane res non
esset, si philosophorum consilium non tam ad exstruendos epitomarum et
controversiarum cumulos, quam ad conficiendos eos libros spectasset, qui

non tantum in philosophia, sed in omni propemodum eruditionis curriculo
 expensa quasi metaphysicae ministeria, inuitis etiam maligni vulgi oculis, subi-
 cerent. Etenim scriptorum plurima, quae ex hoc genere adhuc edita sunt
 in lucem, e. g. AEPINI, parum profecto faciunt ad ea, quae optamus; cum
 in istis libris, hic si iure pertinerent, non ex aliis eruditionis partibus petita
 placita metaphysicae, exemplorum instar, aptanda, sed sic explicanda sub-
 limia oracula fuissent, ut tanquam capita et fontes veritatum, ac ut causae
 eluxissent, quibus effecta et phaenomena, male plerumque cognita neque
 satis intellecta, niterentur. Huiuscemodi autem librorum conditores va-
 ria utilitatis specie ad scribendum ducerentur; nam ut ea, quae diximus, et
 alia taceamus, nae liberales isti viri tironum commodis maxime consulturi
 essent, qui ut nonnunquam metaphysicorum dogmata facile assequuntur,
 ita ex contraria parte iustam iis videnti rationem difficillime perspicunt: vnde
 efficitur illud, ut existant metaphysici, innumerabiles illi quidem, sed thra-
 sones ad unum fere omnes, hypermetaphysici barbari, mox procul a patria
 in mundum fanaticum profecti, ut ad hunc nostrum forte nunquam red-
 eant. Equis neget enim, qui postea ad usum transferre axiomata sponte
 sua discant, esse admodum paucos? dotari plurimos, qui per omnem vitam
 dites sint sine uno voluptatis sensu? Dici vix potest, quam esse soleant
 frugiferae, aut sicut generosae propagines, succi quasi plenae, et acceptio-
 nes eae, quas nullius esse frugis facile tibi persuaderes. Distinguit, ut hoc
 vtatur, DARIES, summus philosophus, similitudinem essentialis a similitu-
 dine essentiarum, quam distinctionem haud male fibi ad consilium adhibe-
 rent εὐφοίτην illam, nostris Genie dictam, de qua recentiores disputauerunt,
 definituri, traduntque alii alia huius iudicis plurima. Igitur, praecoptata
 ad scribendum materia, quae et tantae virtutis et cognitione aliqua coniuncta
 esset theologorum studio, cum intelligeremus, legem apud Psychologos
 perulgatam, quae cogitationes associat, cum primis esse huius conditionis;
 relictis ex hoc genere aliis omnibus, hanc censebamus eligendam, eamque
 eo magis, quo latius in interpretando patere eius usus videbatur. Est haec

prae-

praeterea lex haec tenus siue imperiosa, siue animis nostris accepta, ut nihil
sere a mortalibus profectum videoas, nihil iis fere adiunctum, vbi non exsta-
rent expressa illius vestigia. Quocirca vti ea feliciter possunt ad explicandas
grauissimas causas docti homines; quorum si nulli alii, medici certe huius
legis habere rationem solent, ex eadem intellectu difficultia et obscura recte
luculentque interpretantes (vid. e. c. Io. Petr. EBERHARDI, sagacissimi phy-
sici, libell. de medicamentorum effectis, ling. vern. exar. p. 199): ut mirum,
huc aditu et reliquis eruditorum ordinibus patente, ni pari iure vtantur.

§. I.

Quod Psychologi solent vel ipsa sua philosophandi ratione prodere,
occulta et incerta esse omnia, de vi et natura animi disputanda; nisi antea
diligenti animaduersione eorum, quae in mente eueniant, docendi via quasi
sternatur et muniatur; illud etiam, de hac nostra quaestione dici verissime, in-
telligimus. Nobis igitur, quo intendimus, tuto ac sine circuitione et an-
fractu peruenire cupientibus, eadem via, narrando, quae de nobis experi-
mur, erit aperienda: quo facto ex animaduersionibus colligenda facile plura
patescent. Videntur autem duae omnino sufficere.

§. II.

Fit saepenumero, quae prima est, ut animus, in quem olim plu-
rium imagines (e. c. duorum, A et B notandorum) simul inuestae erant, al-
terutra (e. c. A) ipsis denuo repraesentata et praesente, socias etiam (B) reco-
lat conscientiam; atque ita quidem, ut haec instaurata species (B) ad illam (A)
attendent moram et impedimentum inferat. Exsistit autem, hoc si fit, illud
ipsum, quod associationem cogitationum vocant. Vnde proclive erit cognoscere
Cor. I. non posse eam locum habere, ni antea animus a cogitatis pristinis vacaret.
Cor. II. Deinde, animum, dum cogitationes consociat, sua non ut spontaneitate, quippe
qui, redempte pristina imagine, turbatur, id quod nollebat. Significamus vero cum
Dariessio per spontaneitatem (neque enim hoc vocabulum iure philosophico donatum
fugimus) eam animi facultatem, qua potest fieri, ut positis omnibus suis, quae antea
aderant negligenter, illud etiam non agat, quod agit.

A 3

Cor.

Cor. III. Et quoniam consociat animus olim simul percepta, quorum saepe nullus alias nexus est, nisi is, quod quondam simul oblata erant; neque etiam ipsa ratio huius consociationis restringit, non enim intercedit spontaneitas, ad rationis usum necessaria: intelligitur porro hoc, nexus rerum ita copularum non esse arctissimum illum, de quo sagunt Philosophi.

§. III.

At solet tamen animus, quae altera est animaduersio, cui multorum olim imagines simul obuersatae erant, cum de uno eorum rursus cogitat, ex reliquis tantum reuocare illa, quae cum magis aliis olim terigerant; hoc est, non omnino omnium, quaecunque antehac simul intellexerat, sed eorum modo redeunt *cogitationes*, quae quondam *vi* perceperat satis *viuida*: id quod suus quemque sensus docebit.

Cor. Hoc autem sequitur illud, ut eorum, qui vitae genere, patria, educatione &c. ab aliis differant, ab horum diuersa sit ad consociandum materies; quoniam e diuersa vita ratione diuersas pendere viuidas imagines constat, &c.

Schol. Ut scriberetur, quam breuissime posset, ratiocinia et ea, quae experientia docet, in §. coniunctionis.

§. III.

Nunc ex his, quam rationem, veluti legem, haec mentis nostrae facultas sequatur, videamus. Philosophis, legem generaliter definientibus, lex quedam formula est, qua demonstratur enuntiaturque modus, quo plura componenda copulantur: quam generalem si accipis finitionem, in ipsis §phis II et III haec existat et appetit lex consociationis cogitationum: eorum, quae olim simul animo comprehendisti, uno denuo percepto, repetes etiam cogitationes viuidiores, isti olim coniunctas.

Cor. I. Igitur ex duabus imaginibus, olim simul haustis, offeretur, una earum denuo oblata, etiam altera; si quidem haec olim viuida fuerit.

Cor. II. Deinde perspicitur hoc, posse mentem eo saepius consociare, quo plura, contra hoc rarius, quo pauciora olim vi viuida percepit.

Schol. I. Erunt fortasse, qui legem hic esse mutatam existimant, idcirco quod eam alibi aliis verbis sciunt esse scriptam: qui cum e. c. in *Darierii psych. emp.* §. XII. eandem ita expositam viderint: „si duo obiecta simul vel per se vel per similitudinem quandam, cogitaueri n, et deinde eorum unum iterum cogitem, haecce cogitatio etiam cogitationem

„tionem alterius reproducat,, nos censeant derogasse legi: at si meminerint, legem in pauca collaturos non similiter facere, ac si interpretentur, dabunt veniam. Derogare quidem nos non volumus; sed paucis potius libet confituisse. Ingrediamur in causam. Illud *vel per se vel per similitudinem quandam* in uno hoc *simil* continetur. De priori quidem illo, *per se*, non est dubium; at nec de hoc, *per similitudinem* quandam. Etenim quando mens simile A cum simili B sociat, id sit propterea, quod A ipsi iam oblatum videt tali aliqua nota gaudere, qualē olim in alio B reperiit; adeoque istam notam cum B iterum iungit, quo denum factō videt similia. Dant autem, quae sentimus, graue testimonium de eo, quod diximus. Legenti historiam discipline pythagoricae recurrit imago coenobitate rom. Cedo caussam! ob similitudinem, inquis, quae Monachi est cum Pythagoraco. Enimuero ut dictum non vituperamus, ita auctorandum quoque illud censemus, quod latet. Nempe Pythagoraei *αρχοντες* prae se ferunt, vitamque secundum castitatis, paupertatis et obedientiae praecepta institutam, rerumque vietusque communitem &c. quae quoniam a me in Monacho olim intellecta erant, eundem in mente reuocant, ut omnino olim copulata simulque comprehensa iterum copulentur. Quare tantum abest, ut *Darijsum* reprehendamus, ut maxime etiam illum praedicemus sollicitius legem exposuisse. Nos autem sequi hic quidem maluimus illud, quod is ipse nobis in via ad verit. §. CCCVII monstrauit.

Schol. II. Quoad autem iis consentiamus, qui legem sic condunt: percepta idea partiali, recurrat eius totalis (vid. Baumg. Met. §. 561); id quidem §. III. aliqua ex parte declarat.

§. V.

Iam cum animus noster usque adeo hanc legem commendatam habeat, ut summam quasi familiaritatem contraxisse cum ea videatur, in disputationem venit, an carere illa mens humana potuerit, idque si negandum, quare non potuerit. Quam quidem quaestionem neque ab instituto nostro alienam, neque etiam, si quae dicturi sumus, praemittantur, difficilem et obscuram putamus. Recentiores philosophi, quorum fas sit ore loqui, cogitationes materialiter spectatas enti spontaneo vel *inesse vi essentiae*, vel *non vi essentiae*, docent; cuius discriminis haec est ratio. Inesse vi essentiae aiunt, si menti non possent non tribui, necessarioque exhiberentur, nullo prorsus adhibito extrinsecus adjumento, nulla aliunde data occasione; ut ipsa adeo mens,

mens, iis sublatris, tolleretur, quemadmodum tolli trianguli formam, negatis tribus angulis, videremus: si autem possent, integra et salua mentis natura, ab ea exulare, mensue demum sociata vel cum corpore vel corpusculo, quo tanquam instrumento (s. schemate perceptionis) uteretur, esset cogitatura, tum negant eas vi essentiae inesse.

Cor. I. Itaque animo eo, qui per se et natura sua cogitationes habet, praesentes eae perpetuo sint necesse est.

Cor. II. Id quod de altero animorum genere dici minime potest.

§. VI.

His autem constitutis, duo maxime efficiuntur. Primum est, ut in mentem, quae innatas cogitationes habet, vel iis potius per se et natura sua praedita est, cadere earundem consociatio nequeat. Demonstrationem suppeditant cor. I. §. II. & cor. I. §. V.

Cor. Ergo naturae diuinae, quippe quae his cogitationibus gaudet, consociandi facultas repugnat.

§. VII.

Alterum ex §. V. cogitur, ut multo secus sentiendum sit de mente, in rerum cognitione haud ita versante. Hic enim illa ipsa lex sanctienda est, quoniam, id nisi fieret, fieri nec hoc posset, ut absentium rerum simulacula, ex animo deleta, instaurarentur. Namque cogitatione aliqua (A) ornatus animus, sed non per se suaque ipsius essentia, priuari eiusdem potest (cor. II. §. V.): ut adeo erectam recuperaturo aut ipsa res (s. ἀρχέτυπος) denuo contemplanda sit, aut resuscitandum alio modo cogitatum (A). Fas igitur, cum hic, quod primum posuimus, absolum sit, esse alterum, tum profecto abesse illud nequit, quod efficit, ut reuertatur (A): rationem sufficiensem vocant. Vnde vero ista ratio? Siue eam cerni in occasione extrinsecus oblata (e. g. in signo quodam dato, aut in aliqua re, in sensus incurrente &c.), siue positam in sola mente velis; illud largiri debes, optere eam in aliqua latere mentis cognitione (B). Haec autem nisi copulata esset cum illa, quae cooriri debet, cognitione (A), nulla foret ratio, cum omnis sine nexu sit absurdia ratio, neque esset quicquam, quare inde cognitatio

tatio A, nec quaelibet alia, existaret; adeoque (ex def. rationis) clarum est, fieri nullo modo posse, ut reddatur cogitatio A, nisi haec ipsa et quae praecivit altera (B) nexus quodam vinculae sint. At nexus porto cum nullus esset, nisi adesset nota (determinatio) aliqua, sine B in A haud possibilis (per def. nexus), talis aliqua nota adsit necesse est: eamque vel olim in A vidisti, vel minus. Iam finges, te vidisse eam nunquam in A, tum sane rem A non cognosces; vbi deest enim nota communis, ibi deest ipse nexus: ideoque etiam hoc necesse est, ut hanc notam quondam percepferis. Hoc autem quid aliud est, quam illa ipsa lex (§. IIII. & sch. (generatum spectata)? Contendamus itaque eam esse necessarium εξ θεος των resuscitandarum cogitationis: Cor. I. ac inde colligamus primum, fuisse hanc ipsam necessitatem, quae nos homines illa lege adstringeret; quoniam nos non sumus ii, quibus per essentiam cogitationes inhaerent.

Cor. II. Deinde nostram memoriam atquephantasiam, ista consociatione subinxas, (consul. Psychologos), abrogata illa lege, esse nullas.

Schol. I. Quorum de mente humana cognitione non compacta in vincula vulgaris psychologiae, sed dilatata suo ipsorum studio erit, ii quidem argumentum, quo necessitatem legis cons. in §. docuimus, haud facile in dubitationem adducent; de quo forte laborabunt ii, qui nunquam explicare complicatas mentis actiones ipsi conati sunt, contentique articulata illa in membraque diuina mentis descriptione, quae prostat in libris, quasi haec vera esset animi nostri imago, vel nesciunt, e. c. haec: mentis humanae rationem indagare nexus rerum non posse, et si maxima sit attentio, nisi ministrae sint lex cons. et memoria &c., omninoque facultatem animi, quam superiorem vocant, non sibi sufficere eatenus, quoad ea in libellis psychologicis appareat; porro rationis nexus existere demum acquisita rerum connectendarum notitia; et quae sunt reliqua.

Schol. II. Qui autem de vi et potestate rationis suff. quam longe lateque pateat, discipiant, et hi communiter isto arguento vii poterunt, tanquam ex sua cuicunque priuata sententia facile interpretando.

§. VIII.

Sed magnam etiam vim habet ad explicandam omnem nostram causam, scire, quod non minus consequens est: legem illam esse naturalem, esse normam, quae nobis diuino munere contigerit. Quoniam enim naturale vocamus id, quod cum sit, ita videmus accidere, vii per vires, essentiae rei



tributas, fieri necesse est; haud obscurum esse potest, nos nostra iubente natura agere sum, cum imperia legis illius exsequimur (§. VII. et cor. I.). Cor. Et hic erit quidem agnoscenda et celebranda diuini numinis bonitas, quae munire nos hac lege voluit, quo haberemus, unde incommoda ex instabilitate cogitationum, in hac nostrae limitatae naturae conditione nascenda, lenirentur, eorumque quaedam quasi existeret liberalis compensatio (§. VII.). Namque vt illa vis, qua mente et cogitatione alterum ab altero abstrahimus, nobis tributum a Deo est, in quem tamen ipsa cadere nequit, vt inopiae et penuriae mentis nostrae, quae non esset sine ea plura simul perceptuia, &c. aliquatenus medereretur, accederetque ea quodammodo ad illud, ex quo duxa est, diuinitatis exemplar, (cf. Abr. Gotth. Kœfneri Betrachtungen über die Art wie allgemeine Begriffe im göttlichen Verstande sind, p. 4, 5, 6.): ita haec facultate consciendi cogitationes illa summa et liberalis sapientia, qua ipsa tamen non egit (cor. VI.), nos instruxit, quae paupertatem ex temporariis et praetervolantibus imaginibus nostris suboriente, quoad fieri posset, tolleret, vicariamque nobis operam nauaret. Atque nobis quidem perfusissimum est, ad cognoscendam mentis humanae oeconomiam plane admirabilem eiusque divinam originem nihil tantum prodest, quantum, quam hic laudamus, via prodest poterit. Laudant triplicem illam viam, qua a rebus creatis ad Deum conditorem ascendimus; sed commendanda etiam videntur reversionis via; ita enim appellauerimus eam, qua a Deo conditore ad res creatas descendimus: vt hac, qui sumus nos, quemadmodum illa, qui sit Deus, indagemus.

Schol. Itaque hic erit vitandum vulgare virium eorum, qui, vbi primum aliquid malum ex legum, quas sequimur, usi arecessendi animaduertunt, statim aut has ipsas leges vituperant; aut quandam scœui omnis genium, tanquam ex machina, aduocant, qui, quidquid illius sit, vafer auctor sit et praepotens artifex. Enimvero si intellexerint, inter actiones facultat et legitimam actionum rationem caute discernendum esse, seque adeo ratione et intelligentia sua, quibus tamen nihil excellentius magnificenterisque naesti sunt, quando errant, vii; non solum quod sit contrarium sanctitati divini conditoris, nihil hic quicquam deprehendent; verum etiam locum communem habebunt, ex quo, tanquam vberimo fonte, ad institutionem magis vera atque adeo portiora, ad comprehensionem aptiora, et ad animi consolationem longe efficaciora, quam ea fere sunt, quae ex ipsis suis fontibus haurire solent, derinare faciliter negotio possint. Certe reclami viam, qua detegenda sit somniorum omninoque visorum omnium, quae non inuitata interdum in nobis existunt, damnanda vel excusabilis indoles, quam consuetudo philosophica moralitatem appellat, non poterunt non ex his morum magistri inuenire.

§. VIII.

§. VIII.

Postquam satis, opinamur, ad consilium nostrum legem confocemus, illud age deinceps, cuius causa hanc omnem disputationem ingressi sumus, expediamus. Quia quidem in re ita versabimur, ut ostendamus primum, legem hactenus explicatam pertinere maxime ad eas opiniones interpretis N. T. quas Dialetici hypotheses philosophicas in specie vocant; deinde esse eam pro certo sumendum, et tanquam indubitatem regulam in interpretando sequendam. Itaque cum inter omnes constet, eiusmodi hypothesis, quo sit praestantior, eo magis hanc duplicitem virtutem inesse oportere, alteram, vt ipsa huius nominis enuntiatio ab omni repugnante libera sit; alteram, vt inde quorundam, quae cognoscimus, velut effectorum, plena ratio repeti possit: facile videmus, quid nobis in priore parte agendum.

§. X.

Videlicet primum hoc in parte tractandorum hoc est, ut demonstretur: hoc enuntiatio, quo de viris *Geotryeuseis* N. T. assecuratur, posse eos in scribendo legem confocemus secutos esse, nihil prorsus admitti, quod sit absurum, abhorreatque ab eorum dignitate. Nam etsi illud nobis concedere debent iusti rerum aestimatores, fieri posse, si quidem generalem auctoris libri notio nem spectet, ut is subinde cogitationes suas ad hanc legem dirigat (§. VIII); vereinur tamen, ut tam faciles sese nobis daturi sint tum, cum ad scriptores ventum fuerit diuinitus edictos. Quod enim, cum de solo genere quaeritur, nihil in se habet, quod generi repugnet, non illud statim recte colligitur, posse etiam cum qualibet forma, isti generi subiecta, coniunctum esse; quoniam formarum differentiae, adiectae generi, non raro impediunt, quo minus, quod in genere solo locum haberet, inesse idem formis possit. Quare hic quidem ante omnia enarrabimus ea, quae tributa scriptoribus N. T. sunt, tanquam alicui scriptorum formae; tumque quaeremus, an haec eorum attributa illaque lex inter se pugnant, nec ne? Scimus autem primum, fuisse eos *Geotryeuseis*; deinde homines fere ordinis inferioris in-

eruditique; scriptores denique, qui ad vulgarem popularemque sensum accommodate scriberent. De singulis breviter dicendum.

§. XI.

Quod igitur ad *primum* attinet, de *Georreusia* inter nostrates theologos *sententiae* sunt maxime duas: una est eorum, qui non solum litterarum sacrarum materiem, sed formam etiam, ut in scholis loquuntur, suggestam a spiritu s. aiunt; altera eorum, qui, etsi non materiem, veruntamen formam a sp. s. profectam negant. Sed siue hanc, siue illam amplectare, nihil reperies, quod tollere usum legis illius possit. Quod largiuntur enim, qui haec causam accuratissime tutantur, prioris sententiae defensores, accommodasse se spiritum s. cuiusque scriptoris ingenio, id profecto tantum abest, ut illi legi repugner, ut maxime eam confirmaret. Quis, quaesumus, hic non videat, hoc ipsum ingenium non potuisse seruari, nisi et illa lex seruata esset? Quia enim in hac quaestione ingenii vocabulo nihil aliud designari potest, quam illud, quod ad leges animi naturales earumque usum accedit, tanquam cuiusque proprium, siue quod cuiusque animum magis, ut vulgo dicunt, determinat: cogitur, ut, persistente ingenio, maneat quoque naturales animi leges; quemadmodum rei essentia tum ad sit necesse est, cum adsint eiusdem affectiones. Iam vero lex consloc ad naturam virorum diuinorum pertinebat (§. VIII. & cor. & sch.); adeoque quoniam, spiritu s. scribenda cis inspirante, stetisse volunt eorum ingenium (puta non vitiosum sed incorruptum) stetisse etiam illam legem (quatenus vitiositate carebat) efficitur; idque affirmantem nequaquam, quod editorum tueri, intelligitur. Quomodo autem altera sententia eaque lex inter se conciliandae, id quidem, quia per se patet, non opus est dicere.

§. XII.

Itaque veniamus ad alterum. Erant hi viri, (maximam partem) ex ordine plebeio delecti, nec exercitatores doctrinae humanae studio, ut ipsis adeo ea cogitandi ratio arrideret, qua affuefactam videmus multitudinem. Quae ratio cum non modo non refragetur illi legi, sed intelligi potius ex popu-

populari consuetudine possit, illam normam huic generi hominum apprime consentaneam esse, vt potē quae in facultate animi, quam inferiorem vocant, in primis conspiciatur; et ipsa etiam experientia confirmet, id genus hominum hanc legem maxime sequi; nec hic aliquid intelligitur, unde pugna existere possit. Quod autem ad Pauli eruditioñem attinet, non erat illa ex genere eo, vt animum ab huius legis usū auocasset. Cf. ERNESTI, theologi summe venerab. instit. interpr. ed. vlt. p. 45.

§. XIII.

Ita adeo illud modo restat. vt de tertio, quod esse diximus *populare docendi dicendique genus virorum diuinorum*, paucis differamus. Nempe cum ita libellos suos exararent, vt, quam omnibus salutem decreuisset Deus, omnes cognoscerent, ea omnino institutionis ratio exquirenda erat, quae non esset inepia, sed isti consilio potissimum seruiret, hoc est, popularis. Est autem (ex §. antec.) in aperto, legis consloc. vsum a tali institutionis genere nequaquam excludi, qui si potius huic disciplinae aptus et conueniens, vt adeo *nec in hoc loco possit repugnantia demonstrari*. Idemque omnium seculorum, pristinorum praesertim, historia egregie testatur. Antiquissimi enim generis humani doctores cum animaduertissent, hanc ipsam docendi viam valere ad persuadendum plurimum, intellexissentque, vt quaeque instituendi ratio esset praestansissima, ita esse debere discipolorum ingenio accommodatissimam; apologis, symbolis, allegoriis &c. ex professo utebantur; quos vt rectam instetissima viam et quasi publicam, camque ad erudiendam universitatem proximam, quiuis facile viderit; ita eos etiam, hoc agendo, non parum curasse legem conf. nemo negauerit.

§. XIII.

Et haec quidem de prima virtute hypotheseos nostrae dicta sunt. Nunc de altera, in § VIII. adducta, quae non minoris momenti est, posita in eo, ut ex hac ipsa enuntiatione quorundam, quae adesse videamus, ratio reddi debeat, atque doceri, in N. T. occurtere multa, quae per eandem explicari apte sciteque possint. Hic autem quoniam suspicamur fore, vt absoluta vniuersae



huius rei tractatio nimis longam suppeditaret orationem, ibimus tautum *per praeципua aliqua capita*, quae instar speciminum sint, et quasi spondeant quaerentibus, sine aliqua ex hac hypothesi interpretis utilitas, nec ne? esse eam ipsis hoc nomine satis facturam: quorumque omnino *quatuor* commemoranda videntur. Etenim, ni fallimur, idonea haec erit hypothesis, pri-
mum ad tollendas nonnullas repugnantiarum species, quae subinde in N.T. libris, praesertim historicis, existunt; ducet deinde ad veram parabolaram allegoriarumque interpretationem; tum vero comparata erit ad explicanda ea N.T. loca, ubi, quae in V.T. dicta sunt, accommodationis causa, ut aiunt, in medium proferuntur; denique iuuabit interdum eos, qui sermonis contextum in membra partiri volent.

§. XVI.

En ea, de quibus dicendum copiosius. Sed cum hic locus non satis opportunus videatur, quoniam veremur, ne hic dicenda omnia in altera, quae consequitur, dissertationis parte repetenda essent; hic ista in medio relinquentis; potius demonstraturi; ut fidem in §. VIII. datam liberemus, enuntiatum §. VIII., quod a repugnantia liberum esse haec tenus ostendimus, esse non solum hoc et verisimile, sed tale etiam, quod vere acciderit, hoc est: *viros diuinos in scribendo reuera legis consil rationem habuisse*: eoque demum constituto ad istas regulas reuertemur, non minus, tanquam evidentes certasque demonstrandas.

§. XVI.

Vt igitur in omni, quod administramus, negotio, illud facimus, quod possumus et volumus, ita etiam scriptores diuini censendi sunt, illud ac ita certo scriptisse, quod et quomodo possent vellentque scribere. *Po-*
truisse autem eos in libellis suis, auctore Sp. f. compositis, orationem suam in-
terdum ex lege consil continuare, id paullo quidem ante argumentis vi imus;
quare id solum reliquum est, vt, voluisse eos subinde etiam hoc modo scribere,
doceamus.

§. XVII.

§. XVII.

Id quod qua ratione declaretur, nunc videbimus. Cum id *semper* *Judeis* cum reliquis populis, qui terras *orientem versus* colunt, commune fuisset, ut *imaginibus* a phantasia oriundis suauiter affluenter, maximeque consoci. lege tenerentur; tum ea *in primis aetate*, quam aduentu suo Christus insigniuit, data ipsis erat frequentissime hac *phantasia* utendi facultas. Philosophia enim quoniam iam ante istos dies apud extraneos lactissima incrementa ceperat, ut multa adeo tunc temporis inuenta celebrarentur, quae, cum V. T. litteris consignabatur, aut nondum cognita aut perspecta satis essent; Judaei, quibus nullus inventionis honos habebatur, ersi eum vehementer expe-
rebant, id sibi maxime agendum putabant, ut, quibusunque modis possent, docerent, nihil noui Platonem &c. atrulisse, sed *Sethum*, *Noachum*, *Abrahamum*, *Mosen*, &c. iam ante seruasse idem cognitionis humanae fastigium, quam issi quidem graeculi ori suissent: hand dissimiles eorum aemulatorum, qui vel hodie Noacho, Abrahamo &c. Logicorum et Mathematicorum immo πατροφαν τίτλους, velint nolint, imponunt. Sunt autem huius rei testes ipsi *Philo* et *Josephus*, qui morem gerentes huic popularium suorum studio id consilium in libris suis aperte indicant. Deinde vero hic spectanda eriam est ea V. T. interpretandi ratio, quam ἀνθεῖται nomine hi iidem *Philo* et *Josephus* saepenumero laudant (leg. SEMLERI, theologi S. V, in parasceues herm. part. I. p. 103 seqq. quo etiam ιπέρεια Philonis spectare videtur, ap. Grotium in annott. ad N. T. ed. Windb. T. I. p. 28. Cf. quoque ERNESTI inst. int. p. 167. §. 9). Porro hic illud cogitandum est, ipsum T. V. exornatissimum esse variis similitudinibus, ditatamque non aliquatenus, sed ex maxima parte descriptionibus picturisque iis, quas phantasia suppeditat; ut ex his facile intelligatur, in Judeorum animis, qui ita assidui in legendis his libris essent, ut alias litteris nullam sere operam darent, tandem cogitandi rationem insedisse. Denique nec mira praeceptorum traditiones tacendae sunt, quibus iam tum, cum eos visitabat Christus, superbiebant Judaei. Iam vero si qui sunt, qui haec Judeorum studia sine vsu legis conf., con-
ditri-

ditricis illius allegoriarum, similitudinumque plurium &c. nutricisque mysticæ interpretationis, omniumque scire horum negotiorum, quanta quanta fuerint, moderatricis, valere potuisse opinentur; scire velimus, qua alia tandem ratione haec studia apud eos vigere potuisse parent. Etenim ἐνεργειαὶ illa nitebatur lege cons. (cor. II. §. VII.); aemulatio autem philosophiae inter Judaeos et Graecos, nec non προσδοτῶν veneratio hanc vulgarem phantasie vim postulabant, quam ipsius V. T. lectio insigniter adiuuabat: ut adeo dubitari non possit, quin Judæi legem cons. maxime sequuntur, quippe quam sequi non solum eorum patria, sed plures etiam caussæ aliae iusserint.

Cor. I. Licer igitur solos Judæos graecos allegoriarum sc̄latores dixeris (quod quidem negat Michaelis in interpr. ep. ad Hebr. p. 61.); erunt tamen caussæ aliae, quam ob rem putabimus, legis cons. viam ad totam nationem pertinuisse.

Cor. II. Neque caussa cadiamus, et si verum sit, quod nos quidem, verum esse, non plane abnuerimus, (plurimos) Judæos vixit adeo extra omnem rationalem confutudinem proiectos fuisse, ut translationes, e. g. de vita post hanc beatam, ceperint tanquam proprie dicta.

§. XVIII.

Iaque ex his colligamus conclusionem: voluisse omnino scriptores diuinos in scribendo hanc legem respicere, neque eam in tradendis decretis præceptisque spernere. Quod quidem non ita dictum volumus, ut putet aliquis, conseruasse eos etiam vitia, huic consuetudini iudaicae insita; qui modo propensionem Judæorum ad consociandas cogit, quae in se nihil mali habet, probabant atque spectabant. Sed age, quae conclusionis huius ratio sit, curatius videamus. Igitur negari non potest, sapientissimos illos viros, auctore Sp. S., temporis sui ingeniorumque erudiendorum maxime duxisse rationem. Namque cum in his prima illa norma atque regula cernitur, quam vel auctores, a Deo prudentia θεοποιοῦ non instruti, magnopere spectant, quorumque ut quisque est prudentior, ita eam magis curare solet; tum maxime diuinorum virorum prudentiae, quid quod ipsius Dei sapientiae repugnaret, quae, quidquid potest per leges naturales fieri, miraculis non cupit efficiere, si eos in docendo scribendoque primam et probatissimam normam illam negligere

glingeret voluisse putares. Quare Paullus e. c. diserte passim docet, se indolem et ingenium omninoque discipulorum conditionem multum respexit. Iam vero porro intelligitur, hominum, a Θεοτυπίαις erudiendorum, fuisse non solum e plebe plurimos, ad quorum adeo captum ratio docendi e lege consil. accommodatissima esset; quippe phantasiae &c. summopere inserviat; sed fuisse eorum discipulos etiam in primis Judaeos, eosque maxima ex parte graecos, quorum ingenio quae esset aptior docendi ratio, reperiretur nulla (v. s. antec.); ut adeo Θεοτυπίαι, regulam illam secuturi, non potuerint non legem consoc. in docendo ratam habere. Immo fingas, Christianorum plurimos non fuisse e Judaeis colligendos, ne tum quidem ostendes, necessitatem huius legis in docendo nullam fuisse; nedum iam ostendas, cum Judaeorum ingenia duplicem huius necessitatem attulisse id temporis videt. Fingas porro, noluisse viros diuinos recta et patefacta hac via proficiisci, tum quidem efficitur, vt eorum institutio fructu caritura fuisse eo, qui, calcata hac via, non poterat non existere; cum discipuli dicta nec percepissent, nec percipere voluissent, id quod ab omni Dei consilio plane abhorret.

Cor. Vix opus videtur monere, etiam Christi disciplinam aliquatenus hac lege metiendum esse, quoniam conclusio abs termino, quem medium vocant, fines suos habet. Qui dubitat autem auctoritate Marci c. IIII, 33. 34. et aliorum Euangg. conuincitur: licet enim illud: καθὼς ἡδύνεσθε ἀκεῖν, cum Grotio transferas, vt digni erant audire; inde tamen nihil detrimenti causa nostra capiet.

Schol. I. Neque est, quod dicat aliquis, viros diuinos non habuisse tam anxie quaerere idoneam aliquam et aptam docendi rationem, quippe spiritum s. non ignorassent adsuturum legentibus. Nam spiritus s. gratia vt a nobis nullo modo negatur, ita non haec tenus pertinere constat, vt animos, tanquam machinas, tractet; quae ea si esset, euidens fore probatio, homines nec esse nec vnguam fuisse ullorum diuinitus concessorum librorum indiges.

Schol. II. Neque etiam enos deterret dubitatio, quod hac ratione seculis futuris male prospexit sit, aliud docendi genus efflagitantibus. Nam hoc qui dicunt, primum, vt alia mittamus, cum modo docendi confundunt res et praecepta ipsa, eadem permanentia; deinde ne illud quidem intelligere videntur, nullum esse tam populare,

quam hoc ipsum docendi genus, quod est in N. T. conspicuum, adeoque cuius tempori conuepiens; ut aliam institutionis viam exoptantes eam facile ipsi possint tradere, quod et saepius fieri videmus. Eiusmodi constat, qui scripturis sacris illudenter, quod non dotatae essent philosophico quodam habitu, &c. sed hi nescire videntur, patricinari se ipsos regulae *Scottrorum*, propterea, quod, cum decreta sua modo forma philosophica induita, modo velo fabularum (romanenium) vestita, modo aliis quibusdam recte involucris, emitunt, prout ea diuersis legentium ingenii maxime respondere putauerint, tacito fatentur, circumspectissimos quoque autores eas decere in docendo regulas, que ad consuetudinem legentium proxime accedant.

Schol. III. Caeterum ex §. intelligitur, quam verum sit, quod dixit *Semlerus*, vir summe venerabilis, in libr. nom. p. 123: ad causas, quae veteres Christianos ad allegoriarum studium impulserint, referendum esse Judaeorum ingenium, iis maxime allicendorum ad Christianorum societatem.

§. XVIII.

Sequitur alterum, quod in §. XIII. & XV. explicandum suscepimus. Iam enim, quoniam compertum est, scriptores diuinos legi confoc. in libris suis non posuisse solum locum dare, verum voluisse id etiam, hoc est, certe dedisse; non amplius dubitandum est, quia multa, ad hanc legem conformata, Nouo T. intexta sint: quorum iam quidem praecipua quaedam, quia non possumus vniuersa, excutere volumus, atque uberiori exponere. Igitur primum eorum, quae hic pertinere supra putabamus, τὸ ἐγνωτοφάνερον, in libris historicis N. T. passim repertum. Nam consociationem cogitationum eti non unicum fontem facimus narrationum, quae inter se pugnare videntur, omnia; neque enim ignoramus, esse etiam causas alias, inscitiam sermonis, moris iudaici &c., propter quas existere soleant: scimus tamen, haud infrequentes esse huiuscmodi repugnantias, quae, cum e diverso scriptorum modo confociandi cogitationes natae sint, tolli quoque, nisi legem confoc. consulueris, aut plane nulla, aut inscita tantum ratione possint. Recte autem hac de re iudicaturus, ante omnia cogitare debet hoc, historicos N. T. voluisse vitam atque doctrinam Christi et discipulorum ipsius breuiter describere ita, ut ratio christiana religionis inde cognosci posset: quod qui nec tenet interpres, nec id assidue, tanquam praecipuum finem

920-

Georius, inspectat, is profecto in difficultates inumeras incurrit, et nodos, ut aiunt, in scirpo quaerit, qui, ut a proclivitate ad fictiones & commenta connectuntur, ita ab eadem soluantur necesse est: unde tandem misericordium illud et negotiosum interpretandi genus videmus existere. Hoc igitur posito historicorum N.T. scopo, neque ullo alio, intelligitur, primum, potuisse fieri, conseruata virorum diuinorum auctoritate, ut ad temporis ordinem res gestas tanta contentione non commemorarent, quanta quidem auctores annalium, quos chrenicos etiam appellant; sed infererent interdum eas, quibus cum praecunibis non tam temporis, quam argumenti vicinia esset et propinquitas. Iam vero quamquam id saepius accidisse longe certissimum est, ab eo tamen proposito, de quo paulo ante diximus, aberratum esse nullo modo videntur: neque enim continuo, si quis vel non Georus historicus exoptatam istam temporis seriem negligit, scitu necessaria praetermitit. Exemplum adeo satis notum. Johannes c. 12, commemorat Mariam nardo vnguentem pedes Christi accumbentis, saluo temporis ordine: Matthaeus autem c. 26 & Marcus c. 14 (haud dubie enim vnaei eandemque rem narrant) vnguentarum huius mentionem faciunt aliquot dies post, quam ea Christo obtigerat; ut horum adeo sedulitas, alieno loco officiosa, absurda videatur. Sed res est in integro. Qui in Marc. c. 14, praesertim vero in c. Matth. 26 totam orationis continuationem prope intuetur, is statim intelliget, fuisse rerum gestarum similitudinem, quae hanc coniunctionem suaderet. Etenim cum antea non solum Christus mortem sibi imminentem annuntiavisset, sed mox etiam in mentionem insidiarum, a Juda auaritia (cf. Io. 12, 6.) inducto paratarum, incidentum esset; ampla hic ostentabatur occasio, inferendi historiam, quae et praedictionem moris confirmaret &c. et sordidam istam cupidinem Judea, insidias molientem, redargueret, &c. Vtrumque vero, muliere Christum vngente, factum esse, ipsa narratio demonstrat. Et ita quidem hanc rem spectandam puramus illi, qui bonam causam Matthei, Marciique bene vult defendere. Neque vero hic iam subsistendum est, sed progrediendum. Nempe narrabantur res, tempore seiunctae, affinitate vero argu-

menti colligatae. Qui fiebat hoc? Fiebat quidem per legem consoc. quae res inter se similes facile copulabat (cor. III. §. II. & §. IIII. & sch. I.); ita ut historicci nostri, cum eas et in libellis suis, salua libellorum virtute, apte sic coniungi posse perspicerent, quemadmodum erant in mente consociante, easdem simul exponerent. Hanc autem huius rei veram causam esse clarum est ex ipsa mentis nostrae natura, quae nulla alia lege huiuscemodi res coniungit; atque ex eo, quod, si subesse quis alias causas paret, eae ad hanc facile reducantur. Adeo verum est, quod diximus, legem cons. tollendis repugnantiis commentitiis interdum inseruire. Caeterum nec illud insiciamur, videri nobis verissimiliorum eorum sententiam, qui eandem rem, at aliter descriptam, apud Lucam c. 7, 37 seqq. reperiunt.

Cor. I. Ergo optantis potius erit, quam interpretantis, in libellis N.T. historicis vbi que quasi hiare ad ordinem, quem chronologicum dicunt: Insunt περὶ χρόνων, his que contraria, &c. quae nec sunt in aliorum historicorum voluminibus.

Cor. II. Et quoniam vna eademque res cum pluribus aliis simul percipi potest (hac phrasim non excludi similitudinem), quae rei cum re intercedere potest, docet Sch. I. §. IIII., perspicuus est ratio, quare alius rem commemoret, vbi alius filerit et v.v. (cor. §. III). Exemplum praebet narratio Lucae c. 7, 37 seqq. (si quidem velis, ibi non aliam rem designari, ab Iohanne c. 12, 1 seqq. diuersam), quippe cuius scribendae aliam prorsus occasionem arripuit Lucas, atque Matthaeus et Marcus.

§. XX.

Sed, praeter hoc sicutum repugnantiarum genus, sunt aliae quoque narrationes, pugnae specie obumbratae, quae ut ab eadem illa, de qua modo diximus, causa profiscuntur, ita iis etiam eadem medicina adhibetur. Namque *alterum*, quod ex historicorum N. T. proposito in §. antec. constituto, sequitur, *hoc est*, ut non omnino omnes rerum gestarum περιγραφεῖς litteris commendauerint, sed eo usque scriptas reliquerint, quoad eas sufficere intelligere cupientibus diuinam Christi virtutem &c. existimauerint. Fag. itaque historicos nostros, auctore Sp. S., enumerauisse tantum περιγραφεῖς præc. aliis conspicuas, aut notabiliores ipsis visas; nihil hic erit inertiae, cuius ipsorum diligentiam accusare vel accuratissima tua animaduersio possit: atque adeo nec iam

iam poterit, cum haec monogramma describendi ratio perspicitur monumentis eorum inesse. Facto autem hoc, dubitare non licet, quin illud quoque fieri potuerit, *ut alii aliae περιστώσεις obuersarentur, quas enotandas censeret* (cor. III. cum §. III.): *vnde repugnantiarum commentitiarum aliud quoddam genitus a priore diuersum nasci potuit; quo ex genere exemplum hoc subiicimus.* Cum Jesus, allata apud Matth. 21, 33 seqq. parabola de malitiosis et improbis operariis vineariis, quae suisset ex Judaeorum proceribus, quid, cum heretis domum reuertisset, futurum putarent, responsum tulisse narratur, male quidem actum iri cum perfidis istis hominibus: contra secundum Marcum c. 12, 9. & Lucam c. 20, 16 non solum Christus ad suum ipsius quae situm respondisse videtur, sed Lucas praeterea addit, proceres negauisse id ipsum, quod affirmasse eos in responso Matthaeus narrat: *vnde duplex oritur difficultas; altera, vbi quae Christi verba sunt, Judaeis tribuuntur; altera, vbi dicitur, Judaeos decreuisse contrarium, ac apud Matthaeum decreuerant.* Sed cum omnes satis intelligentes largiantur, primum hoc, Christum hic, praemissa quadam interrogatione, concessis argumentis convincere Judaeos voluisse, quod quidem ipsi moris fuit; deinde Judaeos poenam operariis luendam minime potuisse negare, nisi violare iuxta diuinum humanumque ius videri voluissent: *hoc quoque largiendum erit, Christum interrogasse primum principes Judaeorum, quid ipsis de poena vinitorum videretur* (Matth. v. 40): deinde vero, cum Judaei, Christi sermonem, latam sententiam in se ipsos retorquentem, non praevidentes, incaute rem dixissent (Matth. v. 41.), Christum hoc eorum responsum comprobasse suumque fecisse (Marc. v. 9. et Luc. v. 16), quod quidem id ipsum disputandi genus, quo vtebatur, postulabat, atque ira etiam comprobasse, ut rem magis declararet (vt quidem doctorem decebat): tumque, cum sese condemnari animaduertissent, clamare coepisse Judaeos, μη γένοιτο (Luc. v. 16): atque ita demum, Judaeis, tales se esse, negantibus, praeclaram fuisse oportunitatem explicandi loci dauidici, vbi vox οὐδεγενετο; proceres istos satis designat &c. Itaque consentiunt, qui dissentire videbantur. *Quae περιστώσεις enim cuius-*



que animo maxime occurserant, eas quidem, auctore Sp. S., litteris mandabat, ita ut mirari non desineremus, si tali dissensione scripta eorum carerent. Immo periti iudices intelligunt, hanc ipsam dissensionem diuersumque narrandi consilium maximam fidem facere sinceritati virorum diuinorum. Dubitantibus autem, an lex conf. vera sit huius rei causa, dicta §. ant. satis faciant.

Cor. Quoniam, vt logici praecipiunt, partes, quae eidem subsunt generi, ita tamen, vt fundamenta a se diuersa habeant (coinferiora inde orta, quod idem superius diverso respectu est determinatum) componi possunt; patet fieri posse, vt in una eademque narratione duplex ἐναντιοφάνες sit, alterum ex §. XVIII, alterum ex §. XX. Cuius rei, ne longi simus, idem eademque conditione exemplum esto, quod in cor. II. §. ant. exstat.

Schol. Caeterum ad bene intelligenda non solum haec, sed etiam reliqua omnia, multum proderit meminisse, nos in hac causa non negauisse attentionem ad conformatas cogitationes, &c.

§. XXI.

Alterum cuius explicativem fecimus legem consoc. (in §. XIII. & XV), sunt allegoriae et parabolae, quas Christus et Σεοπνυσοι hanc ipsam ob causum frequentant, quod legem conf. saepissime sequuntur. Quae res vt ab omni dubitatione liberetur opus tantum erit incuriosa N.T. lectio. Etenim quis lector non intelligat, Christum, quavis fere data occasione, a rebus sensus externos ferientibus ad res morales atque diuinias transiisse? vid. e. c. Luc. 14, 15. 16. Io. 4, 6 seqq. Matth. 16, 5. 6. Si autem occasio non diserte descripta sit, tum attende sis ad περισσεις, e. g. ad tempus habitae orationis, vt Io. 7, 37, ubi verba εν δε τη ἐποχητη ἡμέρᾳ τη μεγαλη της ἑορής, sermonis, qui sequitur, occasionem indicant; attende sis ad vocabula, quibus Christus et Σεοπνυσοι vbi sunt e. g. Io. 3, 8. ad πνευμα, quod verbo ruach responderet &c. Quae omnia aperte demonstrant, a lege conf., eiusmodi connexionum generatrice, has similitudines esse profectas (§. II. & §. III. L. cum sch. I.).

Cor. Ut eorum ad consociandam materies diuersa et dissimiles est, qui res dissimiles percipiunt; ita erit apud eos eadem materia, qui eadem solent percipere (cor. §. III). Vnde accidere potest, vt populi diuersi et a se remotissimi, nulloque commercio mixti,

mixti, in eadem re iisdem tropis, allegoriis &c. gaudent, praesertim in rebus his, quae sunt naturales, eodem modo in sensibus incurunt. Poterit autem ex his intelligi, quid dicendum sit, cum in sacrificiis litteris imagines, Graecorum Romanorumque poetis familiares, usurpatas legimus. Nota est Michaelis, exquisitae doctrinae interpretis, hac de re sententia: alludere subinde scriptores diuinos ad fictas Graecorum fabulas, quas cum Graecis ex eodem fonte, ex Mythologia aegyptia, hau-sissent: quae et si nescimus an omnino neganda sit, non putamus tamen, continuo, si ~~Geor~~neve~~ge~~s confosias videamus imagines eas, quas et Graeci copularerint, vere dici posse, viros diuinos ad Mythologiam allusisse; quoniam haec confosiations esse possunt ex earum genere, quas ipsa natura ministrat, adeoque vniuersis communes hominibus. Quare nos quidem e. c. cherubos, si vel maxime sint equi Jehotae tonantis, ab allusionibus et usmodi excluserimus. Haec enim cogitationum confosiation ex ipsa natura hauritur facilissime, usque adeo, ut ipsi pauci, fabellarum commentarij ignari, auditio tonitru, Deum sibi singant curru vehente. Ut, usurpat in diuersis linguis ad significandam rem eadem eadem metaphora (id quod praesertim in appellandis rebus, ad mundum pneumaticum pertinentibus, ubi potissimum vocabula propria desunt, saepius accidisse videmus); nemo facile dixerit, alteram linguam ab altera hanc metaphoram, (in lingua, dilatatis cognitionis humanae finibus, sponte nascendam) sumuisse; aut ut homo plebeius, iratos et furiosos inter se comparans, non propteret putandus esset, legisse aliquem ex poetis latinis: ita nec istam descriptionem ex Graecia aut Aegypto nos quidem arcessuerimus. Idem de sole, in mari cubante, &c. sentiendum videtur, quippe quae imago Iudeis aequa ac Graecis &c. a natura obiciiebatur.

§. XXII.

Igitur, ut eo reuertamur, unde egressi sumus, N. T. similitudinibus uberrimum sit necesse est, idque vel hanc ob causam, quod lex cons. Christo et ~~Geor~~neve~~ge~~s spectata non poterat non insignem copiam eorum inuehere. Hic autem, cum breuiter differendum sit, lostrabimus tantum parabolam et allegoriam, blandas Metaphorae in primis pedissequas; dicturi quae-dam, non inaudita illa quidem et noua, sed ad usum accommodata, atque ita perspicua, ut ratio eorum e lege cons. recte possit cognosci. Primum de parabolam: ubi duae in primis tenendae regulae, quarum altera haec est: ut, eam planissime explanari, in contextu orationis videamus, quid ipsi praeceat, quidue

quidue consequatur, quo possit res inuestigari ea, quam parabola designat. Quoniam enim in parabola res describitur cum alia quadam ob similitudinem aliquam copulata, eaque adeo, a lege cons. in primis profecta, duas res desiderat, vnam, quae sit alterius simili; alteram, quae rem istam similem adducat: fieri non potest, vt sententiam parabolae inditam aſsequamur, nisi res perspecta sit, quaſ similem in parabola exitauerit. Parabola ad τα εχεται pertinet; vt adeo an sit ea simulacrum aliis rei, non possit ante intelligi, quam de illa ipsa re, ad quam, velut ad cauſam et αρχην, respiciat, conſter; quemadmodum monstrata in tabula plantae cuiusdam imagine, an sit illius plantae imago, eo vsque ignoratur, quoad nondum planta oculis subiecta aut aliunde nota erit. Vt pictor coloribus, sic magiſter parabolae verbis pingit illuminatque: vtque pictor formosissimae virginis imaginem exponens, non admittit iudices, niſi ad ideam summae pulcritudinis informatos, ita nec effectoſ parabolae inuitat interpretes, niſi rei significatae maxime gnaros. Itaque hanc ante omnia noſſe interpretem inuabit. Cuius regulæ quanta viſ fit, vel ex vnica agita illa parabola apud Luc. 16, 1 ſeqq. ostendi poterit, quae quaſi crux interpretum erat, quaeque, quod maximopere mireris, etiam noſtra memoria nonnullos vehementer affixit; qui, licet eam in pejorem partem non raperent, ita eam tamen explicabant, vt magis ſua ipſorum placita proponerent, quam mentem Christi caperent. Satis autem inſpectis intellectisque commatibus 8-14 incl., dubitari non potest, quin Christus aſſeclis ſuis prudentiam commendet ad opes ira adhibendam, vt, contemta avaritia (Pharisaorum), benefaciendo theſtauros apud Deum reponant &c. Hoc illud eſt, cuius aliquem typum Christus in parabola offert, quaeque adeo, hoc conſtituto, tota plena eſt et aperta. Sed id demum, allata regula altera, doceri poterit, quae hacc eſt: re, quae depingitur, detecta, omnis interpretatio parabolæ ad eam, tanquam scopum, dirigenda erit; neque quidquam in enarratione ſcificandum quaerendumque, praeterquam illud, quod ad rem, cui inuenta eſt, illuſtrandam facit. Quam regulam eadem lex conf. demonſtrat, parabolæ effectrix. Namque cum res, parabolæ

ſub-

subiecta, ideo narrata sit, quia mens consocians similem eam esse alias rei vide-
 rat, ipsaque haec similitudo, rei cum re intercedens, neque illa causa alia,
 ad hoc lumen menti praferendum, impulerit auctorem; facile intelligitur,
 auctorem, cum nihil aliud, quam declarare communes illas notas voluerit,
 nihil aliud quoque spectauisse; adeoque si quaedam insint alia, ea ad essentiam
 parabolae nihil pertinere, cum, iis sublatis, maneat parabola; sed talia esse,
 quae casu quodam insint, probabiliter ornamenteque gratia adiuncta, &c.
 Vnde etiam perspicuum est, ludere illos, qui in his additamentorum late-
 bris, nescimus quae, sublimia atque arcana venantur, quae quidem latenter
 irrepercent, ut tota, quanta quanta, parabola conferta sit mysteriis: quique
 vel propterea falluntur, quia, si verum esset, quod putant, hic omnis my-
 steriorum apparatus ad irritum caderet; quoniam, post virorum diuinorum
 discessum, nemo est, qui recludere et extricare mysticas sententias possit.
 Sed iam redeamus ad parabolam ex Luca exempli ergo adductam. Verum
 igitur est, dispensatorem esse fraudatorem, verum est, laudari eundem:
 at verum etiam hoc est, non approbari malitiam, sed dominum laudare
 mirarique ingenium eius, quod malo futuro prompte praeparet subsidia,
 illicita illa quidem, at apta tamen ac commoda, quae aliorum amicitiam ha-
 bitenus ipsi concilient, ut sperare possit, fore, qui eum, domo domini ex-
 pulsum, in suas ipsorum aedes recipient. At dicat aliquis: opes, quibus
 vtitur, non sunt suae! &c. Quid id tandem ad parabolam, quae eo non
 tollitur? quippe cuius vis tota cernitur in sagacitate et nauitate dispensatoris
 in usurpandis diuitiis ad comparanda bona in posterum fruenda. Hanc
 eius vim esse monita Christi docent. Etenim praecepit assecilis sanctus praec-
 ceptor, ut, in administrandis opibus prudentes, futuros casus prospici-
 ant, adeoque liberaliter alios trahtent, quo, conciliata Dei gratia, tandem
 diuina domicilia intrare possint &c. Itaque ex lege cons. intelligitur, quo
 modo parabola limitanda sit, et quam prorsus nihil videant ii, qui difficul-
 tates hic sibi videre videntur, Sic, cum alio loco, March. 24, 42 seqq.
 Christus ab inopinato nocturni furis impetu transit ad suum ipsius repenti-

num et impropositum aduentum, quis est, quem haec similitudo angat? Aut quis unquam fuit, non dicamus lector fabularum peritus, sed sanus, qui Phaedrum reprehenderet propterea, quod vulpis, coruum casei raptorem verbis subdolis decipientis, exemplo doceat, sapientiam virtute semper praeualere? Quid multa? Ut apologi et parabolae communem habent fictionem, ita etiam hoc postulant, ne ultra terminos, quibus vis comparationis includitur, quique vel e lege confoc. bene intelliguntur, interpres vagetur; quoniam, qui vagatur, similitudinem, hoc est, essentiam parabolae, tollit. Quare, quod de metaphoris, alio quidem consilio, dixit Lambertus, philosophus non mediocriter doctus, in noui organi T. II. p. 113, id interpretes talium parabolarum, qualis est ista ex Luca, sibi in primis dictum putanto: „eine Metapher paſt eigentlich niemals durchaus vnd in allen Theilen auf „die verglichene Sache, vnd oefters laeft sie sich zur Vorſtellung ganz ver- „ſchiedener Begriffe gebrauchen, ie nachdem man andere Vergleichungs- „ſtücke (tertium comparationis) wacht.“ Quae, mutato nomine, ad parabolas spectant. Caeterum haud negancerimus, videri nobis Christum consulto istam dispensatoris perfidiam ad parabolam duxisse &c.

Cor. Ad suscepit etiam Christus *actiones parabolicas*; (quae nec in V.T. defunt), quæ nosse erit operæ pretium. Ad demonstrandum, ut hoc vtatur, discipulis, quam potentiam, fideli animo in Deum conservato, ipsi essent naturi, huiuscenodi actionem obibat, cum execratione sua viridis fucus languecebat et exsiccabatur, Matth. 21, 18 seqq. & Marc. 11, 13. 14. Igitur tales *actiones cum aliter interpretandæ non sint*, quam ipsæ *parabolæ*, erit sane superuacaneum querere, quod quidem querere plurimorum interpretum fert confuetudo: qui fieri potterit, ut Christus nesciret, carere arborē fructibus? qui fieri potuerit, ut ob inopiam fructum diris deuovere arborē tempore eo, quo fructus non sufficerent? Nempe interpreti negotium facere non debent, que ad essentiam actionis parabolicae non pertinent; sed ita sunt ad actionem, ut sunt additamenta, de quibus in §pho diximus, ad parabolam.

§. XXXI.

Iam de *allegoriis*, &c. Hic autem in scribendo parciores erimus; quoniam, quam cauſam parabolæ, eam quoque allegoriae habere possunt; ut apud has fere earundem regularum valeat auctoritas. Nempe *prima carum*

earum haec est, ut ante omnia rem *indagemus* eam, cuius notis allegoria refert. Id enim non agens omnem operam perdit, propterea, quia mens confocians, allegoriam adducens, adducit eam, visis notis, quae allegoriae cum re, per eam significata, communes sunt. Quare non cognita ea re, quae ita occasionem allegoriae dedit, non paret, qualis sit allegoria; quia tamdiu communes notae, allegoriae effectrices, latent, quam rem ignoras significatam. Similitudinis e. c. apud Ioh. 3, 8. sensus te fugiat necesse est, nisi ex viuierae orationis consilio et in primis ex v. 4 et 7 rem didiceris, per eam depictam, puta incomprehensam regenerantis πνεύματος vim. Altera regula est, vt in allegoria nihil inuestigemus, nisi quod ad rem significatam spectet, v. c. ne in loco Iohanneo de aequilibrio aeris sermocinemur. In quod vitium facilissime delabuntur, qui hic interpretes se iacent ante, quam isti primae regulae fecerint satis, quamque adeo intellexerint, quid sit in quoquis loco ad cogit. confociationem referendum. Habet igitur haec secunda regula in primis hanc cautionem, ne de declarandis allegoriae vocabulis nimis laboremus, sed, explicatis notis communibus, contenti simus. Quae caurio eodem modo paret, quo ipsae regulae, pertinetque vt ipse regulae, ad totum metaphorarum genus. Sic, e. c. nihil sere agunt interpretes, qui locum Marci 8, 15, ita ornant: *quoniam* consideranda est vel physice, vel ecclesiastice, vel mystice, tamque peregre abeunt ad physicos, et ecclesiasticos et mysticos. Quid dices, si quis Horatii interpres ex od. XIII. L. I, quae tota est allegorica, locum: „(o „nauis!) non tibi sunt integra linea, ita adoriretur: integrum modo mathematico, modo physico, modo morali significatu gaudet? Denique et hoc viendum, unde regula tertia, vt, quidquid usquam in allegoria deprehendi posset, ad tropos referatur; quam legem, id quod facile patet, eadem lex consimigrare vetat. Exempla apponet ERNESTI, V. S. V. in inst. int. p. 66.

Schol. Legimus nuper Car. Günth. Ludouici, philosophi Lipsiensis academiae celeberrimi, prolusionem de perfectionibus sermonis aestheticis indeque deducitis regulis S. S. hermeneuticis; ab ipso viro humanissime nobiscum communicatam: legimusque eo consilio, vt, si quid forte scripto incideret, quod ad institutum nostrum pertineret, id in rem nostram convertereimus. At vir doctissimus, cum, breuitate libelli

paucā scribere coactus, vniuerse caussam tractauerit, nec ipsi adeo licuerit, dicere quaedam in rem nostram singulatim, voluit tantummodo tradere generales quasdam regulas, quae ut erunt optimo cuique interpreti probatae, ita eas facile limitabuntur, quae quidem eiusmodi regularum conditio est, περιεγένεται loquentium, audientium, &c. Haec e. c. „Textus biblii interpretatio illa est vera, ideoque prae reliquis elīgenda, in qua insunt maximi sensus, id est, ex qua apparet, sermonem textus esse, eius modi, cuius magnitudo aesthetica omnes caeteros possibiles dicendi modos sufficiet, &c. vel hoc §. & §pho antec. magis poterit circumscribi.

§. XXIII.

Tertium e lege conf. explicandum, erant loca N. T. ea, quae consuetudo interpretum *accommodationes* vocat. Hic autem cum magna sit inter theologos contentio, qualis hisce dictis insit sensus; nos quidem, quoniam non sumus ii, qui suggillare litterarum sacrarum auctoritatem ullo modo videri velimus, sententiam nostram ita exponeamus, ut memendum non sit, ne eam perspicientes subaccusent nos laesae huius auctoritatis. Igitur insciandum non est, loca nonnulla in V. T. existare, quae, in N. T. introducta, aliam rem significant, quam quidem verbis scriptores V. T. notarint. Matthaeus, ut hoc vtamur, narrans in c. 13, 34: Christum parabolas liberter frequentasse, prouocat in v. 35; ad Assaphum, qui hoc institutionis genus, tanquam a Christo amplectendum, cecinisset ut diuinus vates, in Ps. 78, 2: et si, quod ad Christum spectare videatur, nihil plane, secundum verba, isti versui inest, ubi poeta se pristina maiorum suorum fata sententiose commemoraturum ait, id quod totius hymni contextus perspicue demonstrat. Iam hic sunt, qui huiuscmodi loca parodias appellant, ut *Heumannus*, cui id certe tribuitur in disp. de parodiis N. T., quam praefide *Weickmanno* — *M. Laurentius* defendit, *Vitemb. cl. I o c LXII:* sunt porro, qui argumenta ad hominem, alii autem, qui esse ea *accommodationes* dicant. Verum ut notiones his verbis insitas non satis conuenire istis locis putamus, ita nec satis commoda ipsa nomina videntur: etenim qui θεοπνευστας non negat, nec negare hoc potest, Deum, qui a θεοπνευσταις V. T. litteris mandari haec dicta voluerit, praeuidisse non solum fore, ut ea aliquando

quando ad res N. T. transferantur, sed voluisse id etiam fieri; qui, nisi voluisset, non ipse denuo in N. T. dictauisset; quemadmodum fere doctum quendam, versantem in initio scribendi libri, dices praeferre ea et approbare, quae ex iam scriptis in continuations libri ad declaranda alia quaedam usurparurus esset. Quare nos merito *ex his locis ea, quibus vaticinationis nomen litterae sacrae imposuerentur*, neque parodias, neque accommodations &c., sed esse dixerimus vaticinia, Deo, V. T. suggestenti, hoc nomine accepta; esse tamen vaticinia *inferioris ordinis*, distincta ab iis, quae aperte ad eam rem nata essent; eamque clare indicarent, cuius gratia in N. T. proferrentur, annumerarenturque superiori ordini. Idem illud ob eandem rationem pertinet ad *reliqua eiusmodi loca, quorum adeo quaeque iis nominibus appellanda sunt, quibus quaeque in N. T. gaudent.*

§. XXV.

Verum cum haec loca curatius consideranti statim sit perspicuum, res, eiusmodi dicta communia habentes, habere omnes etiam inter se similitudinem, a qua quidem perspicuus aliquis nexus abesse soleat; ita tamen, ut, sublata hac similitudine, hic ipse modus dicta V. T. transferendi ad res N. T. nullus foret: *dubitari profecto non potest, quin omnis hanc ratio ad regulam consociandarum cogitationum dirigatur;* quoniam, quae res similes consociat, haud nexus copulatas necessario, est facultatum mentis nostrae in primis illa, quam supra (cor. III. §. II.) definituimus. Hoc autem institutum congruebat maxime cum Judaeorum ingenio, admodum proclivi ad reperienda et quasi expiscanda e locis V. T. eas res, quae ibi ab aliis non ita facile indagantur (§. XVII. et XVIII.): id quod ad angustiorem usque Sadducaeorum disciplinam pertinuisse videtur. Saltem ex Math. c. 22, ubi Christus Sadducaeos, ἀναζητει τ. v. negantes, argumento ex eo ducto, quod Deus se ipse Deum Abrahami &c. vocasset, haec tenus coarguit, ut, quod opponerent aduersarii, nihil inuenire potuerint, satis intelligitur, Sadducaeos in interpretando tam minute et scrupulose non scrutatos esse omnia, ac nostri quidem homines soleant: quod cum dicimus, non inficiamur vim

illius argumenti; sed hoc volumus ex eo intelligi, ne Sadducaeorum quidem interpretandi rationem tam acutam fuisse et subtilem, qualem plerumque nostri sententur; quoniam inter nos fuerunt, qui virtutem, a Sadducaeis ipsis isti argumento non ab iudicandam agnoscere dubitarent.

Schol. Sed haec omnis res parens magis atque illustrabitur, sublata quadam dubitatione, admodum speciosa, quae haec est: Deum, qui his locis vaticinationes &c. inesse voluisse, (§. XXIII.), obtendisse ei velis mystici sermonis; ut adeo, cum vis eorum a nemine potuisse, nisi ab ipso Deo, declarari, negandum sit, legem conf. hic quidquam valuisse, dicendumque potius, e voluntate diuina hanc omnem causam peperisse. Sit sane, ut volunt dubitantes, peperiderit res e voluntate Dei; nihil nos tamen tangent, nisi ostenderint, posita hac voluntate, tolli eam Dei suppositionem, quae in erudiendo semper sequitur rationem ingenii hominum apertissimam. Voluntas Dei sine ipsis sapientia nulla est: cumque ab omni voluntate Dei ratio, quam subiectuam voeant, abhorreat, tum imprimis in tali re, que libertatem felicitatemque humanam attingit, nefas erit dicere, aliam rationem, quam quae obiectuam nominatur, eum sequi; utpote quam Deum inde ab ultima antiquitate ad nostra usque tempora obseruasse, non solum omnis historia, verum ipsa etiam ratio, dilucide demonstrat. Etsi igitur ista V.T. loca a Deo solo illuminari poterant, tantum tamen absit, ut ex hoc possit colligi, legem cons. in usurpandis iis explicandisque locum habuisse nullum, ut intelligatur potius hoc, fuisse eam legem voluntati diuinae hac in re probatum (§. XVII. & XVIII.). Deinde, ut rem paucis dicamus, ipsa illa mystica interpretandi ratio, quam hic urgent dubitantes, quaeque hic omnino conspicua est, ipsa lege cons. nititur.

§. XXVI.

Haec autem res, ita constituta, multum adiuuabit interpretem. Iam enim etsi ab eorum consuetudinibus longe abesse possumus, qui, admissis paradoxis aut meritis accommodationibus, illis V. T. locis omnem vim et dignitatem detrahere videntur; non erit tamen opus, requirere in V. T. disertam explicitamque mentionem τε πληρωματος, quod in N.T., discussa caligine, declaratur: quandoquidem illa lex, quam hic respexit Deus, sollicitae huius interpretationis nullam necessitatem imponit; quae potius, quoniam similitudo rerum, quam voluit ipse Deus (§. XXIII & XXV.) hunc modum usurpandi V. T. effecit, praecipit haec: primo, ut in verbis ipsis eiusmodi loco-

locorum V. T. inuestigemus tantum rem, rei in N. T. iisdem verbis notatae si millem, in eaque inuenta acquiescamus, si plura non deprehendantur; vt, e. c. in v. 2. Ps. 78 ipsum Asaphum de se loqui putemus, id quod vel ex vocabulo ascher in v. 3. clarum est: *deinde autem, vt, reperta hac re, cogitemus, adesse rem, quae et in Christo &c. conspietur; propterea, quod Deus voluerit, in Christo &c. hanc notam ita existere, vt, si existeret, Deo ipso declarante, signum esset Messiae, adeoque rei e diuina vaticinatione factae.*

Schol. Auctor disp. vitembergensis de interpretibus, parodiarum studiosis, ita dicit sententiam: „Quantum — — suspicionis iure excident, haec parodiae si admittantur, „exinde — intelligi potest, quia certitudo veri, et a Sp. S. intenti sensus e vestigio tollitur. Videtur enim scriptores noui instrumenti oracula veteris non ex vero laudasse, sed similitudine quadam adducti, cum de longe alia re prisci vates agunt. „Quod maximum et tristissimum, omnis adeo variciniorum V.T. de Christo impletio redditur imaginaria. Nam prophetarum vaticinationes alio spectant, atque ad Christum ab euangelistis et apostolis, ob quandam similitudinem referuntur.„ Subiecimus autem haec verba, vt patret, sententiam nostram mouere hanc suspicionem nullo modo posse. Namque ea, quae nos de eiusmodi locis docimus in Ephis antt. praesertim in extrema parte h. §., luculente ostendunt, nos maxime tueri sensum diuinum atque confiduare, nec posse elici e sententia nostra, θεοπνευστες petuisse incertum. At hoc defendisse nobis satis non erat, qui vitare etiam volebamus anxiū & quaesitum interpretationis genus eorum, qui, cum e locis V. T. perspicuam mentionem rei, in N. T. notatae, extorquere omnibus modis conantur, non vident, quam parum efficiant. Tantone labore opus est ad inueniendum verum diuinumque sensum? Qui si mysticus est, ab ipso Sp. S. declaratus, qualem nos censemus, non minus verus erit, isque certus atque diuinus sensus. Quare cum auctore disp. doctiss. eo non peruenire potuimus, vt in ipsis verbis hoseanis ex c. XI, 1. praeter Christum, videverimus neminem; neque enim visum est necesse, vim adhibere isti loco, cui ut quisque adhibet maiorem, ita in eo magis solum videt Christum. Derideant eiusmodi loca Julianus eiusque socii quantilibet confidentia! Quo nos damno afficiunt hi malenoli? qui conuincendi longe alias argumentis sunt, si quidem conuinci velint &c. Caeterum, quae diximus, pace anterioris disp. dicta esse cupimus; qui si ipse Weickmannus est, meritis eius debemus reverentiam, neque dubitamus, quin, quae ipsius est humanitas, plurimi cognita, aequo animo, dissentiri ab ipso, patientur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Quod superest quartum, sericei orationis in membra partitio, tribus verbis exponetur. Nota regula est, ne in partiendo interpres dialecticam subtilitatem *vbiq[ue]* affectet, quippe quae ita raro existit in litteris sacris, ut vix vicesimus quisque locus sit, vbi hanc rationem in differendo scriptores sequantur. Quae quam *vera regula* sit, nunc intelligi vel ex lege cons. potest: hanc enim quia *Georγeuσoi* obseruant, idcirco aridum ieunumque eorum studium probari nequit, qui scholasticum, aut si maius philosophicum, veritatum nexum in diuinis libris perquirunt, innumeratasque distinctiones logicas condensant: quasi vero e rigida & coarctata *Suareſti* cuiusdam disciplina diuini viri, ad populum populariter scribentes, prodiissent. Qui e lege cons. cogitationes suas nobiscum communicant, iis interdum vis ὀμωνυμίας alicuius eo *vbiq[ue]* sufficit, ut, reuocata in animum, secundum legem cons., aliqua re, rei, de qua differunt, vocabuli communitate iuncta, caererum ab ea diuersa; flectant orationem a re proposita, conuertantque ad illam aduentitiam, in animum, dum scriebant aut fermocinabantur, inuestam: cu'us rationis continuandi sermonis insigne exemplum legitur in Marc. c. 9, 49. 50. Interdum fit etiam illud, ut ex *imagine imago* prouolet, velut e lumine lumen; unde quaedam sermonis perpetuitas, cui apertior inest colligatio rerum, existit. Sed satis de hoc. Neque enim, quia hic vel tenuis vsus omnia artis praecpta facile superat, de hac re opus erat aliter, ac vniuerse monere.

§. XXVIII.

Iam itaque, postquam satis ostendimus, Christum et *Georγeuσes* confueuisse ad legem cons. differere, ut adeo multorum locorum N. T. explicationes peri ex ea possint debeantque, manifesta, speramus, sunt commoda, quibus in ipsis inest cauſa, cur haec lex commendanda maxime videatur. Etenim cum interpretis sit, non solum ea, quae dixerint *Georγeuσoi*, sed etiam quomodo quaeque dixerint, demonstrare; neutrum vero horum sine lege cons. effici possit, id quod ex omnibus XVIII.-XXVII ſphis perspicitur: cogitur omnino, ut optimus quisque interpres huius legis habere rationem

debe-

debeat, neque eum deceat, sine illius notitia ad interpretationem N. T. accedere.

§. XXVIII.

Hic igitur dicendi finem faceremus, nisi patrium illud institutum, quo scita nonnulla, corollariorum nomine, subiici diatribis solent, haud plane spernendum duceremus, quem morem ut nos quoque seruasse videamus, tria subnestemus, non illa quidem longe perita, sed ex iis ipsis, quae dicta sunt haecenus, sponte nata. Primum hoc est: ut plebem erudientes caueamus, ne conferciamus sermonem similitudinibus e domestico Graecorum Iudeorumque paratu petitis; ubi potius animi pascendi sunt tropis imaginibusque iis, quae a rebus ducuntur, inter populares nostros notis. Cum enim, ut supra diximus, e differentia et dissimilitudine rerum, quae sensibus percipiuntur, diuersae dissimilesque existant consociationes cogitationum; fieri potuit, ut Judaei &c., oblatis rebus a nostris diuersis, copularent eas, quarum nullam nos habemus cognitionem, saltem eam non tantam, quanta ad consociandum opus est: unde sequitur illud, ut oratores nostri, qui iudai cas &c. eiusmodi similitudines venantur, capient umbras, negligantque euidentiam et perspicuitatem, quae summa oratoris lex est. Similitudines frequentantur delectantque hoc ipso, quod lumina orationis sunt, quae adeo, cum dictu quidem speciosae, sed a rebus incognitis aut nomine tantum notis arcessitae sunt, non erunt lumina et ornamenta sermonis. Similitudines, ut hanc causam paucis verbis expediamus, e consociatione cogiti. saepissime cognuntur; haec autem consociatio quoniam in nos non cadit, nisi res coniungendas antea nouerimus, easque nouerimus ut satis perspectas; profecto naturam ducem non sequuntur ii, qui tropos et similitudines crepan, rebus ignoratis aut non satis perspectis innixas. Eriam hic praestantissima Christi discipulorumque suorum exemplaria ad imitandum proponuntur, qui res ad similitudines non adhibebant alias, nisi cognitas omnibus, quos erudiebant. Paulus e.c. in literis ad Graecos de σοδιῳ, de ἀγωνισμοῖς &c.

E

loqui-

loquitur, 1 Cor. 9, 24 seqq., cum Judacis autem disputans ad περιοχην ουγδιαν prouocat, Rom. 2, 29: sicut Stephanus, qui Judacos durae ceruicis ἐπεργάτητες τη ουγδιαν οντις ων nominat, Act. 7, 51. Atque hanc ipsam circumcisio[n]em cordis et aurium apponimus tanquam exemplum similitudinum earum, quibus supercedere oratoris nostri possunt.

Schol. I. Quasi singularium linguarum singulae voces sunt et proprietates (idiosyns), quae inducias in aliam linguam, barbarissimos, soloecismos et peregrinitatem efficiant; variisque porro in loquendo scribendoque characteres &c., qui confusi et commixti νοιγμον constituant: ita habet suam quaque natio phantasiam peculiarem, et domesticas imagines, quas, qui alii genti tribunt, in candem certe reprehensionem incurvant, quam si, qui barbare &c. loquuntur, peregrinaque sonant. Bene autem, ni fallimur, ex his et ex ipso Spio doceri poterit, quo iure nostri poetae, carentes res, ante oculos nostros gestas, fictiones suas capiant e Mythologia gr. et rom. Nimirum agunt iure nullo. Multa quidem alias de hac licentia quaesita et disputata sunt; sed nuper admodum in bellissima bibliotheca Klorziana ita de ea dictum est, ut maxime fas sit, tantorum etiam iudicium auctoritate nostram tueri sententiam. Cum apud Graecos et Romanos et notissima essent Deorum nomina et numeri, & ipsi Dii publice colerentur, subiicereturque oculis templorum magnificentia &c.; ab his quidem haec mythologia consociandi ratio absit non poterat; quae contra a nostris hominibus plane aliena est, qui, cum alias res percipient, non possint non alias etiam et alteri consociare. E.c. nemo nostrum, parta imperatori cuidam victoria, Miseruam consociat: quare nec eam, nec similes fictiones adducere debet poeta, probabilitatem, populariumque suorum phantasiam, omninoque naturam ducem secuturus; quas si nihilominus adducit, non sua ipsius et nostra prodit sensa, sed aliena; non ore canit germanico, sed peregrino: immo ne Homeris quidem et Pindaros imitatur, qui nobis si nati fuissent, nobis cecissent. Sed, inquis. poesis sine fictione essentia caret, saltem essentiae parte! Quis negat? Hoc negamus, mythologiam gr. & rom. ad essentiam poetarum pertinere: hic enim fictio secundum genia speclanda est; quae manebit adeo, et si, quibusdam fictionibus singularibus, ut ita dicamus, antiquatis et obsoletis et peregrinis, in eaurum locum surroges alias, quae, cum ad tuam consociandi rationem proxime accedant, tuae sint & nostrae, &c.

Schol. II. Distia etiam accommodari poterunt ad adagia.

§. XXX.

Inter illas autem veterum similitudines, nobis non familiares, quaedam sunt, quar, velut ineptas, ridere malint plurimi nostrorum hominum, quam probare,

probare, cum non sint ridendas: e. c. in Homero, vbi asinus ῥωθης, qui, pa-
rum curans puerorum fastes, e laeta segete non exit, nisi bene pastus, con-
fertur cum Aiace Telamonio &c. Il. 1., 367 seqq. Sed, qui hic culpant poetam,
significant suam ipsorum ignorantiam. Namque cum primo lex cons. ita com-
parata sit, vt, quoniam una eademque res cum pluribus aliis simul percipi por-
est, ex ea etiam variae in una eademque re cogitationum confociationes exis-
te-re possint; deinde vero siis quaeque natio patriis opinionibus de decoro, pul-
ero &c. gaudeat, resque peculiares, quibus maxime delectetur, habeat, quae
consuetudo ex hac confociationum multitudine alias eligit in primisque appro-
bat, alias autem respuit, neque frequentat: nos quidem non videmus, quare
hic Homerus accusandus sit. (Cf. dictum Lamberti supra add.) Nec defunt
etiam in codice sacro ex hoc genere picturae cogitationumque confociationes;
e. c. in Ps. 133, 2. Et hoc erat quidem corollariorum alterum.

Schol. Eiusmodi autem similitudinibus poetae nostrae, nisi forte ludicris ludentes versibus,
 non vntuntur, propterea, quia a nostro conficiandi modo abhorrent. Itaque et caue-
 ant sibi ab mythologicis fictionibus; quoniam id iubet haec eadem caussa: v. sch. §. ant.

§. XXXI.

Denique tertium hoc sit. Erant grammatici, qui varios et multipli-
 ces significatus unius, ut aiunt, radici hebraicas ex uno, eoque nativo, deri-
 uare vellent: id quod, si generatim dicenda res est, fieri nequit. Cum enim,
 quod Dialetici tradunt, vocabulorum ἐρωτησια non tantum a consultatione,
 verum etiam a casu quodam proficiscatur, hoc est, maxime condatur a lege
 cons.; virque subinde licet, caussam ἐρωτησια ibi reperire, vbi similitudo
 quedam, fons prioris generis, locum habuit, nedum casus percontari possit
 illos, qui posterioris generis significatus iuxterint vocabulo: non patet, qua
 ratione has difficultates superare philologi velint. Lex cons. cum esset praeci-
 pua ἐρωτησια caussa, factum est, vt plures significarus et ob similitudinem,
 et ob aliam quamcunque rationem, in ynum vocabulum coirent: quas nunc
 indagare rationes omnes (vt de nativo significatu, an is semper cognitus sit,
 nihil dicamus) et quasi odorari, non cadit in homines, licet se profiteantur cri-
 ticos optimos maximos, qui naribus vntantur acutissimis.

F I N I S.

IO.


IO. PETRO WILLENBÜCHER

S. P. D.

IO. SAL. SEMLER.

Hoc igitur TVIS precibus non inuitus dedi, ut et disputationi interessem aduersarius, et istas litteras ei adiicerem; licet hoc tempore minime omnium otio abundem, quo tamen non mediocri opus erat, si satis frugiferum, a mea parte, istud publicum colloquium esse volebas. Facio autem, quod possum, ut de mea in TE voluntate dubitare non possis. Nec illud prae me ferre ego dubito, strenuam TVAM diligentiam, quam, non sine faurice natura, bonis litteris hic impendis, mibi qui-dem minime esse obscuram; quam ita omnino praeftas, ut ista inter bona nomina sis eorum, qui collectis apud nos variis fratibus, qui tandem ad alios etiam utiliter redundabunt, Fridericianam nostram apud suos fautores, ut decet, commendant. TV iam porro sic age res TVAS, ut dei clementissimum numen iis immistum, TVO ipsius maximo commodo, feliciter experiaris! Dabam in Fridericana regia d. XXVI. Sept. MDCCLXVIII.





Jc 4324

ULB Halle
003 719 049

3



SLB

10/7
10/18

MÜ

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISPV TATIO PHILOSOPHICA
DE
LEGE ASSOCIATIONIS
COGITATIONVM
VEL V
IN SIGNI LEGE INTERPRETIS
N. T.

QVAM

AVCTORITATE AMPLISS. PHILOSOPHORVM ORDINIS

D. SEPT. CIC CI CC LXVIII

TVERVN TVR

M. LVDOVICVS MARTINVS TRÆGER
ET
IOHANNES PETRVS WILLENBVCHER

ERBACENSIS S. TH. S.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

